



FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

IOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOLOGIAE ET CHI-
RURGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, SOCIETATIS OECO-
NOMICAE LIPSIENSIS SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

A D. III M. IVNII A. R. S. CIOIOCCCLXXXIII

H A B E N D A M

I N D I C I T

ADIVNCTA COMMENTATIVNCVLA
DE RESPIRATIONE RECENS NATORVM
DEXTRILATERA

IN MEDICINA FORENSI PLVRIMVM ATTENDENDA.

6

1283

6a

FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VITEBURGENSIS

D. J. W. N. S.
IOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

PHILOSOPHIE ET MEDICINAE DOCTOR PATROLOGUS ET CUIUS
MAGIS PROFESSOR RERUM THEOLOGICARUM, SOCIALES QUAES
HONORIS INSIGNITUS SOCIUS

FANSGYRII MEDICAM

A. M. H. M. L. V. I. T. A. N. S. C. I. T. I. T. A. T. I. O. N. E.

H. A. E. M. C. A. M. A. T. I. O. N. E.

1771

ADVENTUS COMMEMORATIONIS

DE RESPIRATIONE REGENS NATURAM

DEXTERALATERA

IN ACADEMIA FORENSI VITIBURGENSIS





Inter efficacissimas inuestigatuque dignissimas corporis hu-
mani recens nati mutationes summo iure referri respira-
tionem, adeo communi omnium naturae humanae inter-
pretum physicorum suffragio stabilitum atque confirmatum ha-
betur, vt, qui contradicat, futurum esse credam nentinem.
Quapropter equidem alio iam tum tempore ad eius actionis cu-
riosius scrutinium allectus in dissertatiuncula, qua praelectioni-
bus meis priuatis in Academia Lipsiensi quondam habendis,
praefabar, *) in id imprimis incubui, vt ex obseruationibus
anatomicis phaenomenisque corporis viui, primae potissimum
inspirationis veram causam eruere atque constituere satagerem.
In aetiologicis vero hisce disquisitionibus prae aliis omnibus cu-
raui hoc, vt reperirem ostenderemque modum, quo aer tan-
dem ad pulmones deduceretur, neglexi autem de industria
breui-

*) Prodiit Lipf. apud Langenhemium anno 1776. 4.



breuitatis maxime studio commotus commemorare, primam, immo quoque deinceps forte aliquoties adhuc repetitam inspirationem non tam pulmonis vtriusque, quam potius dextritantum ministerio peragi, atque adeo recens natorum respirationem primam suo modo dici posse vnilateram. Iam, quae tunc omisi, nunc addam, ita quidem, vt primo huius phaenomeni vulgo praeteruisi et ignorati, immo vero etiam ex votorarius obseruabilis ^{b)} veritatem euincam, deinde vero cognitionem quoque eiusdem haud exiguae esse tum necessitatis, tum utilitatis in medicina forensi ostendam et narratione singularis cuiusdam casus ab ordine nostro nuper demum decissi confirmem.

Primus omnium, quantum quidem noui, qui inspirationem a dextro modo pulmone factam obseruauit litterisque consignauit, fuit Cl. *Franciscus Petitus*, ^{c)} Namurcensis, celebris medicus oculusque egregiusque anatomicus. Quum enim inquireret in fabricam infantis praecocius exclusi et brachiis pariter atque pectore monstrosi, postque paucas respirationes mortui, notauit inter alia etiam in pulmonibus eiusdem discrimen quoddam occurrere. Dexter nimirum pulmo, vt solet esse, qui aerem admisit, cum pallido rubore inflatus fuit, natauitque adeo pertinaciter in aquis, vt neque a compressione submergeretur, neque aliter fundum peteret, quam aere, quem continebat,

^{b)} Extant quidem apud Auctores medicinam forensam illustrantes inter tot ab ipsis allata infantum recens natorum, et mox a partu vel sponte mortuorum vel violenta ratione occisorum extispicia vtrique nonnulla, in quibus alter pulmo subsidere, alter natate inueniretur; aut vter pulmo natauerit, vter subsiderit, nusquam definitum legitur. Videatur v. c. *Michaelis Alberti Systema Iurispr. Medic. P. II. p. 38. f. p. 58.* Probabile tamen semper est per eas, quae mox disputabimus, subsedisse finistram, dextrum nataste.

^{c)} Vid. Mem. de Paris. MDCCXXXIII.



nebat, antliae demum ope educto; sinister contra, vt fetuum, qui nondum respirarunt, coloris fuit spadicei obscuriusue rubri, collapsus insuper et adeo grauis, vt mox in aquis decideret. Ex quibus quidem phaenomenis euidenter patere Cl. *Petitus*, et recte quidem monet, infantem hunc per dextrum modo pulmonem spiritum duxisse, cuius accessus in pulmonem sinistrum fieri perinde haud potuerit. At enim vero quo minus ultra hoc ex his egregiis obseruationibus colligeret quietam aliud Cl. *Petitus*, suspicarentur rem eodem modo in aliis et forte adeo in omnibus recens natis infantibus euenire, viri docti alii, impediit haud dubie tum quod semel ista modo accurate visa fuerant, tum vel maxime reliqua fetus huius, breui admodum pectore instructi conformatio monstruosa, utpote ex qua petere legitime structi et sani corporis actionum illustrationem paullo posset audacius fallaciusque videri. Accedit, quod cur dexter pulmo prae sinistro citius inspirare potuerit, haudquaquam inuestigatum reperiatur, cur vero debeat in omnibus recens natis, ratio non statim in promptu sit. Verum omnes has difficultates superauit, dubitatiunculasque remouit tentaminibus et obseruationibus egregiis tum in canibus et felibus recens natis, tum etiam in prole humana, breui post partum mortua, institutis viri anatomicae, chirurgicae et medicae peritiae laude nostra aetate clarissimus, *Antonius Portal*, Franco-gallus. ^{d)} Etenim quum inquireret in bronchi vtriusque, dextri et sinistri discrimina, non modo ea, quae in capacitate et longitudine posita sunt, sed etiam ea, quae a situ in iis animalibus humanisque corporibus, quae iam respirarunt, pariter atque in iis, qui nondum respirarunt, pendent, velletque quae et bronchis et pulmonibus et arteriae aortae, broncho sinistro

a 3

adeo

d) Vid. Memoir. de Paris. c1719ccclxix p. 549. ff.



adeo vicinae, tempore, quo aer inspiratur, acciderent, suis ipsius oculis lustrare, eoque consilio pulmones animalium et infantis, mox a partu et post respirationem breuem mortuorum intueretur, itemque in pulmones, qui aerem nondum receperant, aperto et dissecto pectore statum per tubulum arteriae asperae immissum adigeret, euidenter cognouit, aerem tum inspiratum tum flatu adactum in pulmonem potius dextrum praesinistro penetrare. Feliculae statim ab exclusione extinctae pulmonum, aquae fontanae immisforum, dexter ex pallido rubens natauit, sinister ex atro rubens mersus est. Idem notauit in alius feliculae duobus aut tribus horae minutis a partu iamtum praeterlapsis demum erectae pulmonibus, quorum praeterea dexter pleurae suae saccum penitus impleuit, sinister in amplo pleurae sacco exiguus et rugosus pependit. Denique quum sublatis vna cum sterno costis fetus nondum maturi et abortu reiecti tracheam inflaret *Portalius*, primo quidem in dextrum pulmonem aerem vidit penetrare, in sinistrum autem longe tardius et veluti per refluxum quendam tantum accedere animaduertit. Quisimmo ad calcem egregiae suae tractationis etiam infantem humanum commemorat, cuius pulmo dexter aquis innatauerit, sinistro decidente. Neque toties a se visi phaenomeni causas indagare neglexit vir egregius, sed ex ipsa partium structura ita pulcre expromsit, vt quae meditando adficere ego possim, paucissima modo super sint. Ac primum quidem propterea docet dextrum pulmonem facilius ab aere nunc primum pectus ingrediente replei, quam sinistram, quoniam bronchus dexter sinistro capacior et quarta fere parte latior deprehenditur. Deinde monet bronchum sinistram, non modo angustioiorem sed etiam quinta fere parte longiorem esse, atque proinde ad parietes eius aerem in sinistram pulmonem introiturum maiori cum remora frequentius appellit. Praeterea animaduertit ad exortum bronchi sinistri ex arteria aspera pro-

progredientis eminentem aliquam occurrere plicam, quam prae-
 ter membranam, internam asperae et bronchiorum superficiem
 inuestientem superior bronchi sinistri cartilago efficiat, utpote
 quae propterea magis in canalem ipsum protuberat, quoniam
 sinister bronchus in omni quidem aetate, praeprimis vero in
 fetu, qui nondum respiravit, obliquius descendit, quam dexter
 magisque retrorsum inclinatur. Ex quo quidem satis super-
 que patet, vel in ipso limine sinistri bronchi aeri insigne in-
 gressus opponi obstaculum. Denique adfert summam illam li-
 bertatem, qua expandi et eleuari potest in pectoris cauitate
 bronchus dexter, utpote cui inhaeret, quod eum coangustare
 possit, nihil, quum e contrario imminet sinistro eundem-
 que veluti arctius comprehendat arteriae aortae arcus, attingat
 quoque eum impositus ipsi arteriosus ductus, a LEONARDO
 FOTALLO cognominatus, uterque sanguine turgidissimus. Ex
 quibus omnibus accurata partium inspectione facile cognoscen-
 dis et in omni omnino recens nato homine, eo solo forte ex-
 cepto, in quo iaversus est viscerum omnium situs, pari sese-
 ratione habentibus satis certo intelligitur, non aliter esse posse,
 quam sic, ut vnus, et quidem in iusto viscerum situ dexter tantum
 pulmo aerem in se recipiat, primitus in pectus venientem.
 Quum vero ad explicandam primae respirationis necessitatem
 in ea, cuius in limine huius libelli mentionem inieci, tractatiun-
 cula, commodissime inter alia usum memet fuisse etiamnum ar-
 bitrer venae sine pari ramorum intercostalium, sanguine a par-
 tu copiosiori turgentium et musculos ad contractionem, pe-
 ctus:

*) Solet quidem supra dextrum asperae arteriae ramum curvo itinere vena sine
 pari ad caenam superiorem contendere. (Vid. IO. MARIA LANCISII epist.
 de vena sine pari in IO. BAPT. MORGAGNI Aduersar. anatom. V. ed. Lugd.
 Batau. MDCCXXIII p. 81. et in tab. aen. I. litr. H. et M.); at neque
 ita proxime imminet, neque adeo magna ac onusta sanguine vena est, ut
 premere valde possit.



ctus dilatantem aërique aditum ad pulmones aperientem, inuitantium consideratione, etiamnum credo præter has a Cl. *Portal* allatas inspirationis primæ in solo dextro latere fictis causas, tribuendum aliquid esse ei notissimæ experientiae anatomicae, qua constat dextri lateris musculos intercostales omnes accipere a vena sine pari ramos venosos, quum sinistri e contrario lateris musculi intercostales superiores tres cognominem venam obtineant ex subclauia sinistra, solique inferiores sanguinem ad venam sine pari remittant. Irritantur proinde, ut videtur, in recens natis dextri lateris musculi intercostales ad vnum omnes, costaeque eius lateris superiores ita leuantur, ut ad ipsas subiectæ quoque inferiores attrahi et ascendere possint: sinistri contra lateris costae inferiores, etsi musculi ipsarum interuallis interiecti itidem a sanguine intra venas ipsarum turgente irritati contrahuntur, haudquaquam tamen ita poterunt assurgere, quoniam in superioribus costis punctum, versus quod attrahi queant, fixum hæctenus nondum inueniunt, quatenus musculi his costis interiecti venas nacti sunt, sanguinem non in venam sine pari remittentes, atque adeo in eundem cum dextri lateris musculis modum irritari in primo recens nati hominis vitæ momento nequeunt. Ex quo efficitur dextrum modo latus thoracis eo temporis momento aut vnice, aut certe efficacius ampliari, atque adeo etiam hæc ratione euenire, ut in pulmonem potius tantum dextrum aer possit irruere.

Verum hæc omnia, quamuis scitu sint et meditato perquam iucunda, contemnenda tamen haud dubie iudicarentur ab iis, qui tantum talia suspiciunt et inuestiganda esse censent, quorum vsus aliquis est in vita, quam dicunt, practica. Quapropter ut etiam horum hominum iudicio probentur, ostendendum est, quam utile sit, quamque necessarium ita teneri a medi-

medicis, quaestionem, num inspirauerit, numque diu vixerit
 infans recens natus, in foro criminali toties proh dolor! ob-
 uenientem, rite diiudicaturis. Ac primum quidem, inspiratio-
 nem infantis a dextro modo pulmone inchoari, sicuti memini-
 mus, cauebimus ab inanibus illis cauillationibus, quibus non-
 nulli propterea pulmonum docimasiam persecuti, ambiguumque
 reddere conati sunt, quoniam vnum pulmonem mergi, natate
 alterum aut legerant aut viderant. Quamuis enim, vt in omni
 medicina, ita quoque in forenſi, qui vni modo signo fidunt,
 falli possint soleantque pereximie, inque rerum corporearum
 diiudicationibus colligenda sint et contendenda, quotquot mo-
 do possunt, phaenomena, singula tamen si spreueris, quod col-
 ligas contendasque, plane tandem deerit. Itaque modo de re-
 liquo constet, aerem flatu in pulmones adactum non esse, dex-
 tro natante sinistroque subsidente, quin fetus sponte etsi rarius
 aut adeo semel tantum inspirauerit, aliis inprimis vitalis fetus
 phaenomenis simul praesentibus, ex temeraria reis patrocinan-
 di libidine haudquaquam diffitendum est. At enim vero ex
 altera parte cognitio primitiuae istius inspirationis recens nati
 infantis a solo dextro pulmone peractae, qui inflatus et pallidus
 sinistro contracto, ex atro rubente et in aquis delabente, na-
 tat, poterat etiam, immo debebat aliquando, mitiorem senten-
 tiam suadere iudicibus, quotiescunque doceri potest, matrem
 infanticidii accusatam et suspectam post satis longum demum
 tempus faeuu quicquam ausam esse in corpus infantis, qui qui-
 dem respirationem inchoauerat, verum antequam mater in
 ipsum fureret, diu iam tum fuerat sine materna violentia exani-
 matas. Fateor quidem, ne commentitiis fallamur culpaee excu-
 sationibus, multa prudentia opus esse omniumque conditionum
 accurata pensitatione; ast vbi omnia plana sunt, humani pariter
 est atque grauis viri, hominem, qui quum nocere voluisse vi-
 detur, minus, immo plane non nocuit, a seueriori poenae
 b
 irro-



irrogatione liberare. Quantum vero in medicina forenſi pro-
fit, noſſe, dextri lateris pulmonem in prima reſpiratione ſo-
lum aere repleri, ſiniſtrum demum deinceps in proximis; mi-
nusque, prae dextro, inflatum ſiniſtrum vitae haud diu con-
tinuatae locupletiffimum teſtimonium exhibere, caſus doce-
bit, cuius narrandi fidem dedi in libelli limine.

Quaeſitum ſcilicet nuper ab Ordine noſtro fuit, vtrum
infans recens natus, in cuius ex aquis extracto cadauere, ab
omni putredine adhuc tum immuni, praeter ſyncipitis, tempo-
rum et occipitis ſuggillationes quasdam et praeter vaſa enee-
phali valde tumentia, ſanguiniſque intra duram matrem et ce-
rebrum ſub locis exterius ſuggillatis extrauaſati quantitatem
exiguam, cochlearis paruuli meſura haud maiorem, nulla
vſquam laeſio deprehenſa fuerat, ſubmerſione aut alio potius
mortis genere perierit? Nunc commouere quidem potuiſſet
ſpumofus liquor, qui ex vtroque pulmone poſt diſſectionem ex-
primi a ſecantibus potuerat, vt neglectis ſuggillationis iſtius et
extrauaſati ſanguinis phaenomenis, viuum ſubmerſum eſſe in-
fantem eſſemus arbitrati. Verum memores eorum, quae Ce-
leberrimus *Haenius*^{f)} contra ſpumam illam, ceu hominis ſub-
merſione extincti ſignum nullius plane ponderis grauiter admo-
dum et rectiſſime diſputauit, beneque guarī ſpumam talem in
pulmonibus hominum alio plane mortis genere extinctorum,
quorum cadauera demum merſa, immo ne aquis quidem vn-
quam inieſta fuerant itidem obuenire, vt tale quicquam cen-
ſeremus, eo minus nos ſeduci paſſi ſumus, quo certius
per indubitata euictum eſſet teſtimonia, hortum, in quo
pepererat femina infantem, a fluuio, cui deinceps immerſe-
rat, paſſus integros quadringentos diſtare, et quo euidentius in-
telligere-

f) Vid. *Et. Rat. med.* Tom. XV, c. 2. p. 98.

telligeretur ex pulmonis siniftri colore obscurius rubro volumi-
neque contractiore minusque inflato, infantem, quem vere
inspirasse dextræ pulmonis pallidior rubor et volumen spon-
giosum, itemque vtriusque saniffimi maximeque dextræ, nata-
tus in aquis euincebant, aliquoties modo aut adeo femel tan-
tum aerem in pulmones admiffisse, atque adeo diu ante, quam
submersura eundem mater ad fluuium perueniret, apoplectico
mortis genere tum ex illis capitis, quas dixi, læfionibus,
tum etiam ex eo interiiffe, quod mater eundem in via ad flu-
uium gestauerat, manibus caput eiusdem ita complexa, vt
reliquum corpus libere inde suspensum effet. Quæ quidem
sententia nostra, suspicionem submersionis lethiferæ a femina
accusata arcens, haud dubie et iure quidem effecit, vt mitius
de ea statueretur, quandoquidem suggillationes in latere capi-
tis siniftri occurrentes non tam a violentia arbitraria et scelerata
matris, quam potius ex eo subnatas esse, instituta omnium con-
ditionum comparatione comprobatum videbatur, quod inter
dolores ad partum parturiens in genu siniftrum procubuerat
pedisque dextræ insiterat talo, iamque partu fiente, subito semet
erigendo effecerat, vt prodiens infans, rupto funiculo proce-
deret capitisque latus siniftrum duræ humo impingeret.

Plura addi vetat temporis chartarumque angustia, quæ
properandum potius esse monet ad commendationem publicam

V I R I

CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

RVDOLPHI ERNESTI VH LICH

FRANCKENBERGA - AEREMONTANI

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

b 2

qui



qui qualis sit, quibusque praeceptoribus ita profecerit, ut, quam modeste ab Ordine nostro petiit, summorum in medicina honorum licentiam Eidem lubenter et ex merito conferendam censeremus, nunc ipse paucis sequentem in modum ad lectores referat:

Ego, RVDOLPHVS ERNESTVS VHLICH, in lucem editus sum, Franckenbergae prope Chemnitium a d. III. m. Octobr. MDCCLVI. Patre CHRISTOPHORO ERNESTO, textore lanario, praematura mihi quidem morte erepto, sed memoria adhuc grata superstitē; Matre e familia HENNIGIA, quam in viuis adhuc veneror. Ad annum decimum usque quintum, in scholam patriam dimissus, Rectori GOLDSCHMIDIO semper venerando, ut morum, litterarum humaniorum et christianae religionis eximio doctore, multum me debere gratus profiteor. Postea ad Chirurgiam addiscendam animum magna cupiditate, cum applicarem, celebri illius loci Chirurgo RICHTERO, traditus sum, a quo prima illius artis praecepta accepi, quibus perspectis Berolinum petii, ibidemque praelectionibus illustrium virorum interfui atque nosocomia assidue frequentavi. Data sub istud tempus occasione, castra secutus sum et varia Borussiae castrensia nosocomia Dresdae et Torgaviae adii ibidemque

demque in praxi illius artis multa me profecisse equidem laetus reminiscor. Finito tandem bello, per aliquot tempus Vitebergae commoratus, SERENISSIMO PRINCIPI ANHALTINO ALBERTO, ab Excell. Professore TITIO commendatus sum, cuius beneficiis omnem ad hunc usque diem, feliciorum sortem meam tribuere debeo. Principis Clementissimi enim singulari gratia factum est, ut anno MDCCLXXIX. iterum ad Vitebergensem musarum sedem, salutaris artis discendae causa accederem, a Magnifico tunc temporis Academiae Rectore, Illustri KRAVSIO, ciuibus academicis adscriptus et iussu Principali traditus FRENZELIO, Medicinae Licentiato experientissimo, e cuius egregia institutione et consuetudine multa ad me redundasse commoda gratus agnosco. Praeterea Magnificum BOEHMERVM, cui ob peculiarem beneuolentiam per omnem aetatem obstrictissimus sum futurus, in Diaeteticis et Botanicis praelectionibus audiui, Excell. HILLERI scholas Philosophicas utiliter sectatus sum; eodemque tempore linguam etiam gallicam, duce Cl. KVRZIO Lectore huius linguae publico, addidici. Iam instituto profectuum meorum examine et a b. Magnifico LANGGVTHIO, testimonio ornatus, iussu Principis Serenissimi artem veterinariam per annum integram a



praecettore fidelissimo KERSTINGIO Hamouerae percepi ibidemque
 anatomicis praelectionibus D. PRVNZII interfui. Hinc a PRINCIPE
 INDVLGENTISSIMO reuocatus, rursus Vitebergam veni atque Magnifici
 BOEHMERI praelectionibus, in therapiam, pharmaciam et botanicam insi-
 gni cum fructu usus sum; disciplinam physiologicam nec non praecepta
 de lue venerea ex NÜRNBERGERI Viri Excellentissimi ore hausi et in
 Excell. LANGGVTHII scholis medicinam legalem atque pathologiam,
 sicuti in Excellentissimi TITII scholis physicam experimentalem excolui.
 Vti vero praecceptoribus meis omnibus gratias persolaturus sum, quamdiu
 viuam, maximas, ita summo pietatis animique gratissimi cultu ad extre-
 mum usque vitae meae halitum prosequar Serenissimi Principis ALBER-
 TI Anhaltini indulgentissime in me collata beneficia, Summum Numen
 ardentissimis precibus implorans, ut principem tam beneficum ad seros
 usque annos omnis generis felicitatum copiis largissime cumulare ben-
 gnissime velit. Anno tandem MDCCCLXXXII. gratiosissimum me-
 dicorum ordinem rogavi, ut me instituto necum prius tentamine, in Can-
 didatorum numerum reciperet, quod et feliciter factum esse lactissime re-
 cordor. Peractis his, me in patriam contuli, ubi in arte medica vires
 meas,



meas, quantum licuit, exercui; iamque id in votis habeo, ut idem ille
Ordo Gratiofſſimus Licentiatum gradum benigne mihi conferat.

Atque huius quidem voti compotem facimus Candidatum
Clariffimum, cuius principibus placuiſſe viris non vltima
laus eſt, eo lubentius, quo luculentiora exhibuit Ordini no-
ſtro in examine a d. XVII. menſ. Iunii anni nuper elapſi,
cum Eodem inſtituto, diligentiae in colendis doctrinis me-
dicis adhibitae, peritiaeque ad artem ſalutarem ſolenter et
prouide faciendam neceſſariae acquiſitae ſpecimina. Itaque
communi omnium noſtrum ſuffragio veniam Ipsi dedimus
cathedram adſcendendi et ex eadem publice pro Licentia
ſummorum in arte medica honorum diſputandi. Faciet hoc ad
III. m. Iunii, praefide D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO,
Viro Excellentiffimo, Academiae pariter atque Ordinis noſtri Se-
niore Grauiſſimo, Collega coniunctiſſimo, diſſertationem inau-
guralem, quae *Spermatologiae vegetabilis* partem ſextam conſtituit
et de *germinationis adminiculis* agit, propugnaturus. Cui quidem
actui



actui solemnī, ut benigne interesse velint RECTOR ACADEMIAE
 MAGNIFICVS, PROCERES VTRIVSQVE REIPUBLICAE GRA-
 VISSIMI, CIVES denique HVIVS LITTERARIAE VNIVERSI-
 TATIS GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI, omni, qua
 par est, humanitate rogo atque obsecro, praestitae huius per
 praesentiam IPSORVM honorificam benevolentiae memoriam
 gratissimo pectore utique reculturus. P. P. Vitebergae Domi-
 nica Exaudi. A. CICCCLXXXIII.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle


004 335 937



3

f
Sl.





FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

IOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOLOGIAE ET CHI-
RURGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, SOCIETATIS OECO-
NOMICAE LIPSIENSIS SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

A D. III M. IVNII A. R. S. CIOIDCCLXXXIII

H A B E N D A M

I N D I C I T

ADIVNCTA COMMENTATIVNCVLA
DE RESPIRATIONE RECENS NATORVM
DEXTRILATERA

IN MEDICINA FORENSI PLVRIMVM ATTENDENDA.

6
1283
6a

